

LVI.
1784, 5. 8

QVAEDAM
DE DOTALITIO,
E I V S Q V E
OB ADVLTERIVM AMISSIONE.

DISSERTATIO
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
P R A E S I D E
D. HENRICO GODOFREDO BAVERO
HAEREDITARIO IN STOETTERITZ
COD. PROF. ORDIN. ECCL. CATHED. MERSEB. CAPITVLARI SERENISS.
SAXON. ELECT. A CONSILL. PROVOCATT. ET SVPR. CVR. FROV.
ASSESS. FACVLT. IVRID. SENIOR. ET COLLEGII DVC. MIN.
H. T. PRAEPOS.

D. XIII. MAIL. A. C. MDCCCLXXXIV.

IN AVDITORIO ICTORVM
P V E L I C E T V E R I T V R
A V C T O R
BENIAMIN CAROLVS HENRICVS HEYDENREICH
IVR. VTR. BACCALAVREVS.
DRESDENSIS.

LITTERIS WALTHERIANIS.

Lp. N. Wolf

三

19. 10. 3



P A R E N T I
OPTIMO ET DE SE LONGE
MERITISSIMO

HVNC PRIMVM LIBELLVM ACADEMICVM

D. D. D.

FILIVS OBSEQUENTISSIMVS

BENIAMIN CAROLVS HENRICVS HEYDENREICH,

L. V. R.

P A R E I T I

O C T Y O R E S E L O N G E
M E R I T I S S I M O

M U N I C H I A C A D E M I C A

1 6 0 0

I N S T I T U T U M P R O F I C I O N A L E M

PROOEMIVM.

Maioribus nostris quam sancta fuerint matrimonia, docet TACITVS de M. G. c. 19. vbi, paucissima, inquit, *in tam numeroſa gente adulteria*: quam laudem quum et alii, qui veterum Germanorum scripferunt historiam, confirmant, TACITO testi, alioquin non certissimo fides est habenda. Quaedam antiquae Germaniae gentes vxorem adulterio pollutam satis punitam credebant, domo quum es- set expulsa, quia nec aetate, nec forma, nec opibus talis amplius inueniebat maritum. Seuiores adulterii vltores veteres Saxones, quod probat epiftola quaedam *SÆFI BONIFACII ad ETHELBALDVUM Anglorum regem data*, quam MELANCTHON Chronic. l. III. sub fin. memoriae mandauit, ita conceptam: *In Saxonia antiqua, vbi nulla Christi cognitio, si — — maritata sub coniuge sit adulterata, manu propria strangulatam cremant; aut cingulo tenus vestibus abscessis, flagellant eam castae matronae, et de villa in villam missis ocurrunt nouae flagellantes, et cultellis pungunt, donec inter- mant.* Quam violatae castitatis in mulieribus vindictam quum hodierna indulgentior ignoret Respublica, et inter nostros,

A 3

aspe-

= = = = =

asperum istud, atque inhumanum: *Wer eine Hure nimmt wif-
fentlich, bleibt ein Schelm ewiglich;* barbarum ratos, nec igna-
ros, C. 20. X. de Sponf. memoresque praecepti; *ignoscite,
vt veniam impetratis,* nemo facile mirari soleat, si humani
quid passam ab alio vxorem duci viderit, praeferunt, ubi vel
suppellectilis splendor, et patrimonii amplitudo, vel formae
venustas vulneratae causae patrocinantur: alio opus est poe-
narum genere, ad minuendam certe, temperandamque pec-
candi licentiam ac libidinem, si non omnino coercendam at-
que eradicandam. Quam ob rem nemo facile improbabit
leges id agentes, vt adulteram commodis exuant, quibus ob
societatem coniugalem vel ex Lege, vel ex promissione ma-
riti antenuptiali frui potuisset. Inter quae commoda quum
non ultimo loco sit numerandum vidualitium; huius ex ad-
ulterio amissioni paucis immorari, hac mihi oblata scribendi
opportunitate, in mentem venit: partim, quia existinabam,
non omnibus, quae ab aliis proferuntur, calculum adiici
posse, partim, quia, curatorem huius rei disquisitionem non
penitus inutilem fore, sperabam. Etenim, quum in eo sim
constitutus, vt qualiscunque iuris scientiae meae primum ex-
hibeam, quod academicae dissertationi inseruire possit, speci-
men, non hoc mihi sumo, vt aliis in veritate inuenienda
perspicaciorem me probem, vt potius, si eruditos aequos
aestimatores inuenero, iisque opellam hancce meam non
omnino displicuisse intellexero, votorum meorum summam
assecutus mihi videar.

§. 1.



§. I.

De origine vidualitatis

Vidualitatis appellatione si, quae maritus vxori ad onera viduatus ferenda relinquunt, comprehendimus omnia, antiquissimis inde a temporibus eius origo est repetenda. Maiores enim nostri illustri et nobili gente nati quum filiabus dotis nomine nibil, sed res tantum mobiles, ad instruendam rem domesticam, Vaderphium dici solitas, mundumque mulierem pertinentes, darent, mariti tam rationibus aequitatis atque amore coniugali permoti, quam sui honoris et existimationis etiam post mortem duratae studiosi, constituere solebant, quae aliquando viduabus ad vitam comode transigendam suppetere possent, sibique adeo quasi per coemtionem vxores conciliabant. Itaque videtur fuisse dos illa, quam mulieri a marito oblatam fuisse narrat TAC. L. c. cap. 18. efr. POLAC. *Syst. Jurisprud. Ciu. Germ. Ant.* L. I. c. 9. Hanc in Saxonia maxime usitatam fuisse, testantur BARTH von der Gerade c. VI. §. 3. 21. 45. MYLER ab EHRENBACH *Gamalog.* c. VI. §. 9. no. 32. SCHOTT *Iust. Iur. Sax.* L. II. cap. 2. §. 11. Introducendo denum Sec. XIII, Iure Romano, SELCHOVIO *Element. Iur. Germ. Priv.* §. 321, teste, res eo peruenit, ut dotem non minus acciperent filiae Illustrium et Nobilium, quam ciuico ordine natae. Quo facto quum haberent, unde viuerent, defunctis maritis, illud vidualitum in desuetudinem abire coepit, efr. CARPZ. *Repons. II.* 29. no. 16. HOMMEL. *Rheps. Ohf.* 479. aliudque in eius locum substitui, donationi propter nuptias simile, ex dote, ad quam respicit, et ex qua descendit, dotalium



tium dictum. Id alii Francici Iuris esse putant, alii in Germania et praeципue in Saxonia originem cepisse volunt. Prius affirmat *GUIL. CVNEVS ad L. i. C. de summa trin.* *Andr. de ISERN ad §. do-*
nare. Tit. Qualit. ol. pot. feud. alien. hoc *Annaeus ROBERTVS Rev.*
iudic. L. I. c. 13. Singulari illud certe in Saxonia, semper gauifum est
privilegio *HENEL de dotal.* c. I. §. 1.

§. 2.

De notione vidualitii.

Ipsa res loquitur, vidualitii, quod passim vitalitum, alibi vi-
talitum vocatur; appellatione designari omnia, quae vidua ex bo-
nis mariti post eius obitum alimentorum nomine capit. Quod, si ex
dote originem ducit, et eius quasi est remuneratio, nominari dota-
litum fuerit. Ut adeo hoc illo, tamquam species generi, compre-
hendatur. Et prout vtrunque, quod ex plurimis I. P. S. locis, ex
quibus nominasse sufficiat *L. I. Art. 21, 32, 44. L. II. Art. 21. et L. III.*
Art. 75. patet, et qua in re omnes consentiunt, moribus est intro-
ductum, non minus persuasum habeo, et ex praemissis apparere puto,
ex quo dos Romanorum innoverit, ipsum vidualitum seu vitalitum,
ut vita dicam, genuisse dotalitum, eique construendo occasionem
praebuisse, tandem hoc posteris magis acceptum, et recentioribus
LL. confirmatum, in illius, passim abrogati, quod inter nos *Dec. El.*
55. euincit, locum successisse. Caeterum vtriusque, et imprimis vi-
talitii, notionem nostris vocabulis *Leibzucht*, *Leibgedinge*, egregie
respondere, et, quoties haec in antiquarum confuetudinum collectio-
nibus obueniunt, vitalitii appellatione rectius, quam, prout factum
esse conspicimus, dotalitii, exprimenda fuisse, puto.

§. 3.

De vidualitio in specie sic dico.

Ecquis enim crediderit, Iuris Romani et cum hoc dotis intro-
ductione Germanorum vidualitum statim profligatum, et in eius lo-
cum

um dotalitium surrogatum fuisse. Siquidem Germanos, atque inter hos potissimum Saxones illa peregrina iurium praecepta diu aegre tulisse, suisque pertinaciter inhaesisse moribus, scimus omnes, nec nos fugit, restitisse filiarum successionibus filiorum iuri aequiparatis, easque impedire statutis pariter, ac filiarum renunciationibus, studuisse. Quare valde probabile duxerim, eandem perdurasse Germanorum honoris gentilitii in viduabus conseruandi existimationem, et, ex quo tempore denum largis successionibus mulieres opulentiores factae, dotumque usus frequentior, pedetentim tandem sensim que dotalitium vitalitio successisse, huiusque usum, ne hodie quidem vbius ignotum euanuisse: cfr. HOMMEL. *Rbapf. Obs. 479.* PVFFEND. Tom. I. Obs. 22. Illud que Germanorum vitalitium, saepius sponsi promissione, vel potius traditione, effectum, tamen, hac omissa, legis determinatione non defitutum fuisse, ex iis, quae apud POLAC. l. c. et apud SCHILTER. in *Prax. Iur. Rom. Exerc. XXVI. f. 68 sqq.* occurruant, intelligimus. Nec feudaminus, quam allodia obligari vitalitio potuisse, et consueuisse I. P. S. L. I. Art. 21. et L. II. Art. 21. fidem faciunt. Ex quorum priori loco simul apparet, heredum successorumue hac in re opus fuisse consensu. Dum enim d. Art. 21. L. I. heredum veniam in fundis hereditariis requirit, liberius arbitrium, de beneficio statuendi, vafallo tribuere nefas. V. etiam cap. XXXI. I. P. S. et cap. LXIV. I. F. A. et ad hoc SCHILTER. Ut potius, pleniorem vitalitii causa ex allodio, quam ex feudo, securitatem namam fuisse mulierem, probet I. P. S. Lib. III. Art. 75. Hoc tamen largior, nec hereditarii, nec feudalis fundi legitimis successoribus, nec ipso huius domino, denegare vidualitium, sine iusta causa licuisse.

§. 4.

De natura dotalitii legalis.

Dotalitium, quod, uti sum professus, ex vidualitio descendisse, persuasum habeo, eiusdem finis obtainendi causa, - puto, ut ha-

habeat vidua, unde, marito mortuo, commode viuere possit, intro-
 ductum est; respectu modi tamen ab eo sic differt, ut hoc simpli-
 cem, illud remuneratoriam sponsi donationem constitutat, nimurum
 tales, quae dotis causa plerumque fiat, ex eaque determinationem
 accipiat. Dico plerunque. Neque enim haec ipsa metendi ex dote
 dotalitii necessitas vbius adest, reique subiectae essentiam ingredi-
 tur. Rectius tamen nostros et accommodatus facturos fuisse puto, si
 alimenta viduae indotatae, vel ultra cognationem cum dote, qua-
 lem mores effinxere, a viro tributa, haec, inquam, si vidualitium
 appellarent, dotalitium contra ipsum legitimum, vel ad modum legi-
 bus definitum, vel infra hunc ipsum, pacto adornatum. Desit tamen,
 quod ianu monui, inter nos hic viduarum v. PVFFEND.
 Tom. I. Obs. 39. §. 20. seq. ususfructus vidualitium nominari.
 Et quis ignoraret, vnum esse tirannum, cui, qui obsequium
 denegauerit, si non ignorantiae vel erroris, obsecratur certe
 metuenda est inculpatio. Sequamur itaque communem lo-
 quendi vnum. Hic dotalitium statuit esse vel legale, vel con-
 conventionale. Illud appellat, cuius ex dote ipsa, hoc, cuius ex con-
 conventione descendens est modus. Largiuntur vero leges solis no-
 bilitum viduabus, non ciuici ordinis mulieribus, dotalitium, vt ta-
 men inter autam, et recens quaestam, quin ipso coniugio a marito
 nobili acceptam, nobilitatem non distinguant, vt recte monet
 BARTH l.c. §. 12. Sic nostro quidem iure, modo Principes et
 mores in aulis Principum passim receptos excipias, secundum illud
 VLPIANI in L. 8. ff. de Senar. et IVSTINIANI in Nov. 105. c. 2.
mariti clarissimam dignitatem tribuant feminis, eaeque conjugis radix
corrufant. Ut vero hoc legis beneficio viduae nobiles frui vale-
 ant, requiritur certa pecunia dotis causa illata, aut promissa. Ex
 pecuniae illatione, quam dotis declaratio non comitata fuerit, vel
 anteceperit, dotalitium legale descendere omnino nequit. Ut ad-
 eo, quam praxis tuetur, et quam quotidie iudices in sententiis lo-
 catoris sequi conspicimus, regula, quae ab initio matrimo-
 nii viro illata intellexeris, dotalia esse praesumenda, ad nostram
 causam plane non pertineat. Contra dotis promissio, licet nulla

ac-

acecerit numeratio, dotalitii petitionem sustinet, modo vidua for-
tem dotis causa promissam, cum eaque vñuras legitimas, quantum
videlicet earum inde ab initio matrimonii percipi potuisset, nu-
meret. Ex quo simul intelligitur, factae numerationis, si negetur,
fidem esse faciendam iudici. Efficit eam mariti defuncti confessio
contra heredes, secundum regulam non contra successores singu-
lares, contra creditores nunquam. Etenim non ab hereditibus so-
lum, verum, si feudum nobile subsit, ex hoc potissimum debetur
dotalitium: idque argumento eius, quod alicubi BALDV S habet;
Mercatorem censeri collocaſe pecuniam in mercatura. Sie, probata
dotis numeratione, hanc vasallus in feudi vtilitatem conuertisse e-
xistimat. Cui iuris praeſumptioni, non defunt, qui tantam vim
tribuant, vt ne contrarii quidem probationem feudi succelfori, ta-
lem praeſe ferenti, concedandam esse propugnant, cum quibus sentit
BARTH. l. c. §. 39. Neque meliori iure hoc onus feudi succes-
for declinat, si vidua dotem cautam, haud numeratam, ei cum vñu-
ris obtulerit, nisi, relicta dote, totidem donationis propter nuptias
nomine praeſtare paratus sit. Quod videri posſit rationem quodam-
modo offendere, obligationem successoris feudalis singularis prae-
sumtae dotis in feudum versioni superstruere, eundemque ad acci-
piendam dotem cum vñuris fuscipienda vice illius dotalitii prae-
ſtandi necessitatē compellere. Dotalitium hoe alii duplicas,
quadruplicatas alii, dotis vñuras comprehendere profitentur. Qui
prius affirmant, dotis simplices easdemque propter nuptias donatio-
nis, qui posterius, duplicas vtriusque constituant. Horum senten-
tiae, quam praxis, ipsiusque dissentientis CARPZ. ad P. II. C.
42. D. 2. adiecta huic definitioni praeſudicia iuant, accedo. v. STRY-
BEN Nebenſt. Tb. V. Abb. 37. §. fin. Nec eam quis iniquam dixerit,
dum ipsam dotis restituenda obligationem extinguit, et ob id cum
emtione ſpeci similitudinem habet; ſic enim poeta:

Mixta ſeruū ac iuuenū densantur funera,

Quae haec tenus disputauimus; Conf. El. 42. et 44. P. II. Dec.
El. 55. et Mand. Feud. Nov. de anno 1764. Tit. VI. §. 1. fatis con-
fir-



firman tur. Adde, si lubet, BARTH I. e. §. 2, Membr. 2, Hartm.
PISTOR. L. I. Qu. 4, et HORN. Ipr. Feud. Cap. XXI. §. 7. s. 4.

§. 5.

De natura dotalitii conventionalis.

Conventional dotalitium, quod etiam voluntarium vocant, vario modo considerari debet. Nam vel pacto quid mutatur circa dotalitium legale, vel constituitur viduabus, quibus leges id non tribuunt. Illud occurrit, quum summa legibus determinata augetur, aut immunitur, vel loco usurparum viduae redditus feudi, vel eius partem, aut alium fundum concedit maritus, quod hodie quidem raro occurrit, olim saepius fiebat, prout ex I. P. S. L. II. Art. 21, L. III. Art. 75. et I. F. S. cap. XXXII. intelligimus. Vbi distinguas, dotalitium conventionale modum legalis supereret, necne. Qui si fuerit obseruatus, successores singulares aequae obligantur atque universales, quia pactum superueniens rem non mutat: si minus, quoad excessum quidem dominus, agnati et simultanei inuestiti, nisi sint heredes, aut consenserint, non obligantur, tenentur tamen quoad modum legibus definitum, quum utile per inutile vitari non debat. Quod si vero dotalitium pacto efformatum legitimo plane dissimile, vel personis eiusmodi tributum, quibus patrocinium leges non praestant, per se patet, eorum, quae de legitimo dotalitio disputauimus, hic pertinere nihil posse, omniisque disputatione, substitue dos, an minus, eique congruum sit dotalitium, necne, tanquam otiosa et superuacanea, reiecta, totam rem ad naturam obligationis partitiae reduci, et, quae fuerint promissa, a promittentis heredibus, in legitima, si qua iis debeatur, non grauatis, esse praestanda, a singularibus contra successoribus non aequae, nisi eiusmodi successor simul sit heres, hereditatemque a re singulari, cuius respectu dotalitio oneratur, vel nolit separare, vel prohibeat. Illud ad fideicommissarium pertinet a fiduci-

cia-

ciario heredem scriptum, quem intuitu fideicommissi, si heres esse velit, obligari, nemo facile dubitauerit: hoc ad liberos quoad feudum a patre relictum. Ius enim patrum hac in re ius Longobardicum *II. F. 45.* probare, filiosque compellere, ut vel feudum cum hereditate suscipiant, vel vtramque successionem deferant, res est decantata, *v. Torg. Ausfchr. d. anno 1583. Tit. Welberg: die Agnaten §. Setzen, ordnen und wollen demnach &c. Mand. Feud. Nov. Tit. I. §. 4. et Tit. VI.* Contra ea, quae, antequam ius Romanum innotuerat, placuerunt maioribus, quorum iure ne super fundis hereditariis quidem, multo que minus super feudis, inconsultis, aut dissentientibus filiis ceterisque heredibus legitimis, in horum fraudem statuere licitum erat, *v. I. P. S. Lib. II. Art. 21. et I. F. S. cap. XXXIII.*

§. 6.

De causis diversis, propter quas cessat dotalitium.

Causae, ob quas mulier dotalitio priuatur, sunt variae, honestae aliae, aliae cum aliqua coniunctae turpitudine. Ad illas pertinet, si vidua dotem vel statutariam portionem elegerit, quam optionem ipsi *Conf. El. 44. P. II. et Conf. 37. P. III.* tribuit, si non contrario pacto ipsa huic legitima electionis veniae renunciauit. Nec imagis dotalitio locus esse potest, si hoc beneficio se se abdicasse dotali instrumento reperiatur. Siquidem fauori pro se introducto cuius renunciare licet. Et quam supra viderimus, alimentorum causa dotalitium dari, ac esse quoddam vñusfructus ex dote percipiendi genus; viduae morte illud exire, eiusque finiendi hanc frequentissimam causam esse, per se elaret. Nec defunt, qui defendant, non minus secundas nuptias dotaliti amissionem efficere. Quae res etsi ratione non destituitur, quia ipsis secundis nuptiis onus alendi mulierem nouum transit ad maritum, eaque desinit esse vidua; praxis hodierna in Saxonia certe haud suffragatur, *v. PUFFEND. Tom. I. Obs. 23. §. 1.* Neque immerito: quum



vidualitio, quod tacite conditionem vidutatis videtur continere, ex modo adductis rationibus secundae nuptiae grauius obstant, vereque ex antiquis Longobardorum atque Alemannorum legibus, quas P O L A C C I , l . c . § . 3 . s q q . adducit, dimidia vidualitii parte exuant feminam. Imo, referente RICHTER . de Success . ab Intest . Sed . IV . Memb . 2 . no . 38 . quodus vidualitii genus in terris Brandenburgieis ob secundas nuptias amittitur. Nostrum vero dotalitium, quod vidimus esse dotis remunerationem, sua natura perdurare, et cum vxore, quae eo perfruit, nisi ipsa pacto dotali eo feso in hunc evenitum priuauerit, ad eius maritum, quem forte haec ipsa res ad nuptias inuitauit, aequissime transire debet. Ipsumque I . P . S . L . III . Art . 76 . hanc sententiam tuerit, add . HORN . Iurispr . Feud . Cap . XXI . § . 11 . et BERGER . Oec . Iur . L . I . Tit . III . th . 12 . not . 3 . Alias causas amittendi vitalitii, ab abuso fundi eius gratia concessi petitas, exhibet I . P . S . L . I . Art . 21 . Quae, prout vidimus rarissime hodie fieri, vt fundi percipiendo dotalitio inferuant, locum haud facile inuenire possunt. Abrogatas tamen contraria consuetudine cum HENEL . l . c . cap . X . § . 22 . dicere, propter obligationem recte vtedi vfrucluaris impositam, nolim. Paclis praeterea effici posse alias dotalitii priuationem inferentes, nemo inficias ibit. Quod vero attinet eas, quae ex delictis promanant, haud immorabor iis, quae praeter adulterium a Glossatore ad I . F . S . cap . XXI . reeplentur, vix hodie obuiis. Aliae alibi traduntur. Inter quas referunt stuprum, quod vidua intra annum lucis passa fuerit, v . SPRENGER . de dotalit . cap . VIII . no . 20 . Cui rei patrocinatur Nov . 39 cap . 2 . quam tamen praxis hodierna non sequitur: vt potius haec poena ad alias permultas pertineat, quas cum Iure Romano Germania et potissimum Saxonia nostra cum ista infamiae notatione, itidem hoc loco obvia, L . n . C . d . Sec . Nuptt . vel propter iniquitatis rationem, vel propter reipublicae dissimilitudinem suscipere noluit: siquidem vtrumque tanto rigori vere relataatur. Non tanta infer nos mariti in vxorem potestas, non eadem reverentiae et obsequii sanctitas. Societas coniugum inter nos strates magis aequalis. Nec vera cogitari potest, quae mortuo

in-

inferatur, iniuria vellacio. Ut eiusmodi potius delicto solus legislator et mariti heredes offendantur, adeoque poenam illud quidem promereatur; sed haec modum excederet, si iuris quaestio iacturam adeoque patrimonii diminutionem inferret. Lenius super hac re ius sacrum sentit, nec ultra mariti vitam mulieris officia profert, v. Cap. pen. et fin. X. d. Sec. Nuptt. Ipsique Saxones, quos vidimus castitatis studiosissimos, talia non probant. Ita enim in Art. 5. L. I. I. P. S. legimus: *Ein Weib kann mit unküschem Leben wohl ihre weibliche Ehre kränken, aber ihr Recht und ihr Erbe verliert sie damit nicht.* Notes tamen velim, solutam h. l. non ligatam assumi mulierem. Alia omnia enim de adulterio.

§. 7.

Quale adulterium officiat dotalitii priuationem.

Huius respectu inter verum, hoc est, quod commissum esse indubie constat, et praesunitum, quod ex rationibus loci, temporis, et, quae circumstant, aliis, cuiusmodi exempla legere licet in c. 4. C. 27. Qu. 1. cap. 27. X. de Test. cap. 12. X. de praesumt. factum reputatur, et inter effectus ex vitroque promanantes distingui, norunt omnes. Quam præterea distinctionem proferunt, inter consummatum puto et attentatum adulterium, ab illa fere nihil differt. Quis enim negauerit, ad notionem veri adulterii eius perfectionem pertinere, et ex initio rei, nisi impedimentum superuenierit, esse vehementer credibile, ad finem illud esse perductum. Distinguendi ratio inter verum adulterium et siueum, cuius exemplum etiam est in malitiosa desertione, redit eo potissimum, posse ex hoc, civiles effectus promanare, ex illo solo poenam ordinariam. Quamquam igitur propter ius diuinum dubium videri poterat, ex dicto siue praesumto adulterio an recte diuortium decernatur; satius tamen visum est, insistere iuri communi, ac, si ex praefinitionibus probabile sit adulterium, locum concedere diuortio, cui alias defer-

◆◆◆◆◆

fertio inferuire nunquam potuisset, qua de re ob *Dec. Notiss. 34. de anno 1740.* dubitare hodie non licet. Neque adeo magis dubium argumentum a maiori ad minus, vel iusta potius conclusio, mulierem diuortium passam commodorum, quae ex matrimonio eoque morte demum finito nascuntur, atque inter haec dotalitii participationem fieri non posse, vt ipsa potius adultera ciuiliter mortua recte censeatur. v. *Iusl. Henn. Boem. R. Diff. de priuat. dot. et flat. port. ex cap. adult. c. II. §. 18.* Videntur haec ad confutandum *HENEI. l.c. cap. IX. §. 13.* existimantem, dotalitii priuationem ex sola adulterii conuictione habere locum, sufficere posse.

§. 8.

Vtrum in locum mariti adulterio laesi eius succedant heredes.

Num vero eodem cum marito iure heredes eius perfruantur, non aeque expeditum putauerim. Nec obiectum iri metuo, quaectionem hanc inanem et plane otiosam esse, quod ex dotalitii, quam femina patiatur, iactura maritus nullam, omnem heredes eius capere debeant utilitatem. Largior quidem, matrimonio ex mariti adulterium vindicantis petitione soluto, ab obligatione praefandi post huius mortem dotalitii heredes non minus liberari, atque alienae vxoris onus ipso diuortio tollitur. Si vero maritus morte praeventus, et quominus libellum iudicii tradaret, impeditus fuerit, interest nosse, agere heredibus liceat, an minus? Distinguere solent DD. sciuerit, an ignorauerit, maritus, adulterium ab uxore esse commisum. Quod si fidem coniugalem ab ea violatam esse nesciuerit, quod in dubio affirmandum esse ex *L. 29. pr. ff. ad L. Iul. de adult. pon.* inique infertur, plerique heredibus denegant ius agendi contra viduam, tam ob *L. 15. §. 1. ff. Solut. Matrim.* ubi *PAVLVS morum coercitionem heredes habere negat, quam, quia si actio in vindictam tendens, quam ea instituta yleiscantur iniuriam defuncto illatam.* Sed, vt taceam, morum coercitionem, cuius illa lex

lex mentionem facit, minime esse aequiparandam actioni ob adulterium, quae nobis obuersatur, instituenda, nec non cap. 5. X. de rapr. obligationem ex delictis oriundam in heredes producere, ius agendi heredibus imprimis eam ob causam vix negari posse videtur, quod maritus iniuriam remisso non sit credendus, qui sepe laetum esse ignorauerit, quem nemo praesumatur renunciasse iuri, quod filii competere nescit, heredibusque adeo licere, manes defuncti vindicare, praesertim, quin non ille solus, sed tota familia omnesque illius heredes videantur offensi eiusmodi vxoris adulterio. Sed et si ob regulam, quam habet I. i. I. de perp. et tempor. adi. eiusque verba: *excepta iniuriarum actione, et si qua alia similiis inueniatur, largior, sciuerit an ignorauerit maritus morte praeventus adulterium vxoris, illius heredibus denegandam esse ad adulterio conquerendi veniam: nihil exin videtur obstatre actioni ad priuationem dotalitii, vel obiciendas viduae dotalitium petenti exceptioni, quem neque agenti neque excipienti sit animus, vindicare iniuriam defuncto illatam, sed persequendi vel tuandi, quod suum esse profitetur.* Quae super hac re ab utraque parte dici possunt, inuenies apud CARPZ. Prax. Crim. Part. II. Qu. 45. licet omnia non sint remota dubia. Ipse vt, quid sentiam, profitear, existimo, secundum iuris communis rationem heredem, si defunctum vxoris adulterium sciuisse non constat, dotalitii causa agendi et excipiendi jure potiri, neutiquam vero, si constat, praesertim, quem hodie adulterium condonare licet. Nostro autem inre ob generalitatem Conf. 21. P. IV. hoc defendere nolim, vt potius, quae hac lege ad transmittendum ius defunctorum in heredes requiruntur, etiam ad quaestione super dotalitio pertinere ducam. Scilicet debere constare, quod nouerit maritus vxoris iniuriam, eamque expulerit, vel eius causa fuerit questus, citoque morte abreptus rem ad iudicem deferre non potuerit.

*Vidualitium alimentorum causa destinatum ab heredibus mariti
viduae adulterae recte negari.*

Dicebam, iure communi heredes mariti, qui coniugis ignoravit adulterium, huic viduae factae vitalitum recte negare, nimirum vitalitum, quod iam supra demonstrasse nobis videmur esse veterum Germanorum dotem, quippe bona, ex quibus aliquando vidua honeste vivere posset. Huius promissionem vel solutionem, quis facile negaverit tacitam continere conditionem, si, quam imerit societatem, dum vixerit maritus, continuauerit, et, qualem promiserit, eandem praefiterit fidem. Haec vero fides quam non solum grauissime violari adulterio, sed simul etiam ipso iure per idem rumpi intelligatur matrimoniale vinculum, quis defendere sustineat, eiusmodi mulierem pacti conditionem implueisse. Ipso iure per adulterium coniugale vinculum dissolui, mihi video ex Sacro Codice euincere. Siquidem Saluator noster profitetur, diuertentem a coniuge non adultera rumpere coniugium. Ex quo, nisi fallor, ipso adulterio ruptum esse debere matrimonium, sequitur. Et quanquam eo prolapsa est seculi leuitas, vt huius rei veritatem vitae suae ratione plerique exprimere non soleant, vt potius mirari debeas, quantum sibi ipsis indulgeant, eo tamen impudentia in paucissimis prodiit, vt palam negent, intemeratam fidem coniugalem, collocatam in eo, ne corporis copia aliis fiat, ad matrimonii essentiam non pertinere. In legum sacraria certe penetrabit nunquam. Consequitur itaque, venia ex commisso adulterio a marito impetranda, vt refaciatur coniugale vinculum, et amplius juris intellectu perduret, opus esse. Quae venia intuitu eius, qui laesionem et ignominiam sibi factam ignorat, ne cogitari quidem potest. Non autem facta venia, adultera pro soluta existimanda, mortuo marito, vidua haberi nequit, vt ipsa potius ex tempore commissi adulterii pro ciuiliter mortua, adeoque comodorum,

rum,

rum, quae a matrimonio peracto vidua valet repetere, ex foris debeat iudicari. Licet igitur verum sit, ab illis commodis, quae vxori iure Romano tribuntur, et quibus ob adulterium priuatur, *vid.* L. n. C. *de repud.* vidualitium illud Germanorum vehementer differre; non magis dubito, hoc etiam heredes mariti viduae ex opposita adulterii exceptione rectissime negasse, atque etiamnum merito negare, vbiunque illud adhuc obtinet. Cuiusmodi de terris Bremenibus in *Fr. Ej. PVFFENDORF. Observatt. Iur. Vniv. Tom. I. Obs. 22,* legimus exemplum.

§. 10.

Num recte mariti heredes adulterae dotalitium detredent.

De dotalitio idem recte affirmari, sunt, qui negant. Hoc illi ingrediuntur ratiocinio, ut dicant, dotalitium nostrum dotis esse remunerationem et surrogatum, in eiusque locum succedere, hinc eodem cum dote iure conseri; isdem priuilegiis, cuiusmodi concursus creditorum iudicium exhibeat, maestri; ipsum, aucta dote augendum esse; dotemque per illud absorberi; ut, prout sine nuptiis dos nulla, nec sine dote dotalitium, quemadmodum summus in iure dote favor, idem dotalitii esse debeat; quea vero de dote eiusque ob adulterium iactura in iure Romano contineantur, partim, quia Itali dotalitium ignorauerint, partim, quia nostro iure aliter statuatur, eoque ob adulterium, tanquam genus quoddam mortis civilis, marito tantum tribuatur, quantum ex bonis defunctae vxoris habitus fuisse, ad nos pertinere non posse. Ex his praemisis sibi videntur posse colligere, distinguendum esse inter dotalitium, quod pecuniae dotis causa numeratae, et quod fundo dotali surrogatum sit. Illius mulierem adulteram participem fieri non posse. Quodsi vero fundus in dotem datus sit, dotalitium in duas partes secundum, eiusque dimidia, quae propter nuptias donationi respondeat, cuiusque iacturam adulterio fecerit, seposita, alteram dimidiad, quippe.



vſtras duplicatas, pretio fundi dotalis ſuperſtructas, viduae adulterae nec heredes viri, nec feudi ſucceſſores iure ſuo denegare, quandoquidem negantes, ob verſionis dotis in rem feudi praefumptionem, eiusque abſortionem, danno mulieris locupletiores fieri ſtudeant.

§. I.

Quod ex iure affirmatur.

Age, num quid veri hiſ argumentis iſit, conſideremus. Utaceam, ſecundum ea, quea funt praemissa, non infra nobilium viduas legale dotalitium deberi, nobiliumque intereſſe debere, dotalitii onus non heredibus, ſed beneficii ſucceſſori imponi, idque ex praefumptione factae dotis in feudum verſionis ab herede in ſimultaneo inueſtitum tranſire, hanc autem, fundo in dotem dato, fieri plane non poſſe, quia per naturam impoſſibile eſt, fundum alioſialem tranſfundiri in ſubſtantiam feudalem; niſi in fundum offeratur efficiaturque, ut ac feudum vasalli pertineat, eiusque inueſtitura conteineatur, quale exemplum eiui quaero obuenierit. Neque enim ad obligandum dotalitio feudum fructus dotis feudi ſubſtantiae illati ſufficiunt, ipsam dotis ſubſtantiam illataam eſſe, oportet, ut dos in feudum conuerſa intelligatur. Hisque adeo confici, illam diſtinguendi rationem inter dotalitium ex pecunia numerata, et ex fundo promanans, in dotalitio legali vtilitatem praefare prope nullam poſſe. Sed quamquam per conuentioneſ ſifici potheſt, ut contra naturam ſucceſſionis Saxonice marito eiusque heredibus ius ſuccedendi in fundo mulieris, et huic dotalitium ex illo tributatur, neutiquam conficitur, pactum eiusmodi vxori adulterae proficuum eſſe debere. Ponamus, deſſe legem in domēſtico iure noſtro, quea adulteram dotalitio priuet, eo priuandam eſſe tamen, dubitare non licet. Multa in Germania noſtra per conſuetudinem praefcriptam vim leges obtinuere. In re proposita vero non folum conſuetudinis probatio, quippe per adulterium dotalitium amitti, eſt facillima, verum etiam, quia negotii natura hoc debet efficere, ſu-

per.

peruacanea. Verba in Art. 5. L. I. I. P. S. obvia: *Ein Weib kann mit unkenschem Leben &c. vt iam supra moniti, solis solutis mulieribus, adeoque fornicantibus, non adulteris, patrocinari, non solum ex glossa subiecta patet, sed adeo communis interpretum consenserit, vt hoc pluribus probare supersedeam lubenter.* Contra, ex notissima illa paroemia: *Quod non habet glossa, id curia non tenet;* vi contrariorum sequitur, probari posse consuetudinem ex glossis. En; habes eiusmodi glossas ad I. P. S. L. I. Art. 21. I. F. S. cap. XXXI. et Art. 22. des Weichb. vt de consuetudine a maioribus, impudicitiae acerrimis osoribus in nos translatâ, si consensum iuris Romani adiungas, ne dubitari quidem possit. Sed nec leges desunt. *Conſt. El. 26. P. III. et 21. P. IV.* malitiosa desertione atque adulterio dotalitium committi, viduaeque ab heredibus mariti, qui condonare hanc iniuriam sese nolle declarauerit, iure denegari, tam aperte loquuntur, vt scepticum esse oporteat, si negare velis. Etenim verba generalia in rubro *Conſt. 26. etwas erwerben, oder aus des verföhrten Gütbern erlangen können;* et *Conſt. 21. ihr Einbringen und was jhn sonst gebüret;* respexisse Legislatorēm ad dotalitium, dubitare non finiat.

§. 12.

Et ex rei subiectae natura.

Monebam, si vel decessent leges, mitius de adultera censi ob rei naturam non posse. Repeto, quod iam §pho 9. probauit, conjugale vinculum per adulterium ipso iure dissolui, adeoque indicis sententiam in hanc rem necessariam non priuatoriam esse, verum declaratoriam. Ex quo principio, quod verissimum est, noſtroque confirmatur iure, necessario fluit, vxorem adulteram mortuae similem esse, et quemadmodum viduae morte dotalitium exit, adulterio non minus effici, vt nullum debeatur. Consentient propter ea omnes, peracto ab alterutro coniugum adulterio rem in cunctis dem

+ + + + +

dem statum redigi, ac si alteruter mortuus fuerit, vt innocens ex noxiis patrimonio idem capiat, quod propter eius mortem vel ex lege, vel ex pacto habiturus fuisset. In qua iuris materia pertractanda et explananda non solum satis copiose, verum etiam prae aliis solide versatus est CARPZ. in *Pr. Crim. P. II. Qu. 64.* Quam ob rem mulier a marito ob eius adulterium diuertens iure suo vititur, si dotalium et quae alia ei ex pacto vel ex lege debentur, vel si nobilis non sit, nobiliumue iure vti nolit, quartam bonorum illius partem, maioremue, si ex statuto talis debeatur, postulat, nec minus contra marito diuortium facienti licere debet, aut pacto ei in mortis eventum promissa, aut ex lege mobilia vxoris dotalia et paraphernalia omnia, sola legitima, nullis immobilibus reliktis, superstitibus liberis parentibusue salua, sibi vindicare. Quaeque marito ipsi debentur, quo demum iuris obtenuit eius hereditibus, item defuncti continuantibus, eamue inchoare valentibus denegentur. Siquidem in utroque exemplo ex praemissa iuris fictione non mulier viro, sed vir mulieri superftes intelligendus est, cuius heredes defuncti iure in se translato experiantur. Quamobrem, si quis adulteriae viduae dotalium assereret, rationem non minus offenderet, quam, qui mulieri ante virum defunctae illud vindicaret. Contradictionem enim in adiectione, vt cum schola loquar, continet, adulteram, ipso adulterio a marito separatam ita, vt iam, eo adhuc viuo, coniux esse desierit, viduam appellare. Hoc vnum addam, fundo in dotem dato, nec mutata per pactum successione legitima, causam heredum mulieris legitimorum pessime acturum esse, qui pro conservando dotalitio laboraret. Etenim ob mortis fictionem, comprehensam adulterio, fundi dotalis dominium ex parte mariti resolutur, idemque in mulieris heredes quasi mortis causa deuolutum existimatur. Ut solum, quia, fauore viri constituta in eius odium retorqueri, leges non patiuntur, mulierque non in heredes suos sed virum deliquit, hic ad mortem vsque mulieris usufructu eiusmodi fundi plenissimo iure suo perfruatur, cfr. CARPZ. l. c. no. 35. sqq.

CLA-

CLARISSIMO ET PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

*R*edo igitur hunc TIBI libellum, a TE mihi oblatum, forma licet quodammodo mutatum, re tamen ipsa prope omnino TVVM. Quod vero mihi cum obtulisti emendandum, et propediem, TE socio, defendendum, tesseram habeo certissimam ILLVSTRIS PARENTIS, TVIque erga me amoris. Illius, postquam me collegam SIBI oblatum proprius cognoverat, benevolentiam expertus sum singularem. Huiusque documentum neque grauius mihi dare posuisset, neque acceptius, eo, quod TE hic venientem mihi potissimum tradidit. Etenim, quemadmodum, qui operam neque superuacaneam, neque cauillantem, solidam atque virilem dant iurisprudentiae, ob studiorum cognitionem omnes diligo, TE, intra privata scrutinia primumque publicum editum specimen virum cognitum, amassem peregrinum, amici et collegae in primis suspiciendi commendatione desitutum. Age igitur, firmissima infraestus valetudine, res TVAS felicissime, quam adhuc laudabiliter incessisti viam, persequere gloriose,

ama-



18
moris erga me filiumque meum haud immemor, ut, quod ILLVSTRIS
PARENS, et ego a Patribus nostris accepimus, perpetuum amicitiae
pignus inter gentes nostras conseruetur. Scribebam Lipsiae, d. IX. Maii.
A. C. MDCCCLXXXIV.

J. 36


ULB Halle
006 378 986

3




1078





B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Q V
DE DO
EI
OB ADVLTE
DISS
ILLVSTRIS ICTOR
PR
D. HENRICO G
HAEREDITARI
COD. PROF. ORDIN. ECCL. C
SAXON. ELECT. A CONSIL
ASSESS. FACVLT. IVRID.
H.
D. XIII. MAI
IN AVDTI
P V B L I
BENIAMIN CAROL
IVR. V T
D
LITTERI